



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et
Decreta**


Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Bvlla Indictionis Sacri Oecvmenici Et Generalis Concilii Tridentini, Svb
Pavlo III. Pont. Maxim.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

I
BULLA INDI-
CTIONIS SACRI
OECVMENICI ET GENE-
RALIS CONCILII TRI-
dentini,
SVB PAVLO III. PONT.
Maxim.



PAVLVS Episcopus, ser-
uus seruorum Dei, ad fu-
turam rei memoriam.

Initio nostri huius
Pontificatus, quem non
ob merita nostra, sed
propter suam magnam
bonitatem, Dei omnipotentis prouidentia
nobis commisit, cernentes iam tum in quas
perturbationes temporum, quotque incom-
moda rerum ferè omnium nostra Pastoralis
solicitude, & vigilia esset vocata, cupieba-
mus quidem mederi Christianæ Reip. ma-
lis. quibus illa iamdudum vexata, & prope-
modum oppressa est: sed ipsi etiam, vt ho-
mines circumdati infirmitate, ad tantum
onus tollendum impares vires nostras esse
sentiebamus: nã cum pace opus esse intelli-
geremus ad liberandam & conseruandam à
plurimis impèdentibus periculis Kemp. om-
nia inuenimus odijs & dissensionibus ple-
na, dissentientibus præsertim Principibus
ijs inter se, quibus summa rerū pene omnis
à Deo permilla est. Cum enim ouile & vnū *Ioan. 10.*

A Pasto-

Pastorē Dominici esse gregis, ad integritatē Christianæ religionis, & ad cœlestium bonorum spē in nobis confirmandā, necessariū duceremus: schismatis, dissidijs, heresibus erat Christiani nominis diuisa iam pene & lacerata vnitas. Cū tutam, atq; munitam ab infidelium armis atque insidijs Rempubli- cam optaremus, nostris erratis, nostraq; cunctorum culpa, Dei videlicet ira peccatis nostris imminente, Rhodus fuerat amissa, Hungaria vexata, conceptū, & meditatū cōtra Italiam contraq; Austriam, & Illyricum terra, mariq; bellum; cū impius & immitis hostis noster Turca, nullo tempore requiesceret, nostrorumq; inter se odia, & dissensiones suam bene gerendæ rei occasionē duceret: Igitur vt dicebamus, in tanta heresum dissensionum, bellorumq; tempestate, tantisque excitatis fluctibus, cū essemus ad moderandam & gubernandam Petri nauiculam vocati, nec virib⁹ ipsi nostris satis fiderem⁹: primum coniecimus in Domino cogitatus nostros, vt ipse nos nutriret, animumq; nostrum firmitate, & robore, mētem consilio, sapientiaq; instrueret: deinde, animo repententes maiores nostros, sapientia admirabili, & sanctitate præditos, sæpe in summis Christiana Reip. periculis remedium optimum, atq; opportunissimū œcumenica Cōcilia & Episcoporum generales cōuentus adhibuisse: ipsi quoq; animū ad generale habendum Cōcilium adiecimus: exquisitisque Principum sententijs, quorum nobis videbatur utilis imprimis, & opportuna ad hanc rē esse consensio, cū n̄ eos tunc non alienos ab

Psal. 54.

hoc

CONCILII TRIDENTINI. 3

hoc tā sancto opere inuenissemus, œcume-
 nicum Conciliū, & generalem eorum Epi-
 scoporum, aliorumq; Patrum: ad quos per-
 tineret, conuentum in ciuitate Mantuæ in-
 diximus, anno incarnationis Domini, sicut
 literis, & monumentis nostris testatum est,
 1537. Pontificatus nostri tertio, ad x. Kalend.
 Iun. inchoandum: spem prope certā habentes
 fore, vt, cum illic in nomine Domini esse-
 mus congregati, ipse sicut promisit, Do-
 minus in medio nostrū affuturus, & boni-
 tate ac misericordia sua omnes temporum
 procellas, omniaque pericula spiritu oris
 sui facile depulsurus esset. Sed, vt semper in-
 fidiatur pijs actionibus humani generis ho-
 stis, primum contra omnem spem & expe-
 ctationem nostrā denegata fuit nobis Man-
 tuana ciuitas, nisi aliquas conditiones subi-
 remus ab institutis maiorum nostrorum, &
 conditione temporum, nostraque a huius
 sanctæ Sedis, ac nominis Ecclesiastici digni-
 tate, libertateque prorsus alienas: quas in al-
 ijs nostris literis exposuimus. Quapropter
 aliū inuenire locū, aliāq; deligere ciuitatē
 necesse habuimus: quæ cum non statim no-
 bis occurreret idonea, & apta: ad sequentes
 Kal. Nou. prorogare Concilij celebrationem
 fuimus coacti. Interim sauis & perpetuus
 hostis noster Turca, ingenti classe Italiani
 adortus, aliquot oppida in litorib⁹ Apulię
 cepit, vastauit, diripuit, pradas hominū abe-
 git: nos in maximo timore & periculo om-
 niā, muniendis litoribus nostris, finitimis-
 que auxilio iuuādis fuimus occupati: nec ta-
 men interea desistimus cōsulare, & hortari

Christianos Principes, vt, de idoneo ad habendum Cōcilium loco quid sentirent, nobis exponerent: quorum cū essent incertā, variāque sententiā, tempusque diutius, quā erat opus, videretur extrahi; nos optimo animo, atque vt arbitramur, etiam consilio, Vincentiam elegimus, urbē copiosam, & Venetorum, qui eam nobis concedebant, virtute, authoritate, potentia cum aditū patētem, tum stationem omnibus liberā, atque tutam imprimis in se habentē. Sed, cū iam tempus longius progressum esset, nouāque; vrbis electionem omnibus significari cōueniret; iamque Kal. Nouemb. appetentes facultatem huius diuulgationis excluderent; huiusque esset propinqua, rursus altera prorogatione tempus Concilij differre in proximum sequens ver, Maijque; futuras Kalend. cōpuli fuimus. Qua re firmiter constituta, atque decreta, cū & nos ipsos, & cetera omnia ad eum bene agendum, Deo iuuante, celebrandumque; conuentum pararemus, plurimum reputantes interesse cum celebrationis Cōcilij, tum vniuersā Christianā Reip. Christianos Principes pace inter se, & concordia cōsentire; carissimos in Christo filios nostros, Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum, & Christianissimum Regem Frāciscum, duo præcipua Christiani nominis firmamenta atque subsidia, orare, atque obsecrare institimus, vt ad colloquiū inter se & nobiscum vna conuenirent; quorum quidem apud vtrumque; litteris, Nuncijs, & à latere nostro missis, ex venerabiliū fratrum nostrorum numero Legatis, sapissimē

egeramus. vt ex similtate, & difsidij ambo
 in vnum foedus, & piam amicitiam vellent
 conuenire, labentibusque succurrere Chri-
 ftianis rebus: quarum feruādarum cum eſſet
 illis poteſtas ab Deo præcipue tributa, ſi id
 non agerent, & ad commune Chriſtianorū
 bonum ſua conſilia non dirigerent. acris &
 ſeuera ratio eidem Deo ab ipſis reddēda eſ-
 ſet. Qui aliquando precibus noſtris annue-
 tes, Nicæam ſe contulere. quo nos quoque
 longum iter, & ſenili etati noſtre vehemen-
 ter contrariū, Dei & pacis conciliandæ cau-
 ſa ſuſcepimus: neq; prætermiſimus interea,
 cum tempus concilij præſtitutum, Kalend.
 videlicet Maij appropinquaret, tres Lega-
 tos ſummæ virtutis, ac auctoritatis, à latere
 noſtro, de numero eorundem fratrum no-
 ſtrorum S. R. E. Cardinalium, Vincentiam
 mittere; qui initium Concilij facerent; Præ-
 latorūq; vndiq; venientes exciperent: & ea,
 quæ iudicaret eſſe opus, agerent, & tracta-
 rent, quoad nos ab itinere & negotio pacis
 reuerſi, omnia accuratius dirigere poſſem⁹.
 Interim vero in illud ſanctum opus, maxi-
 meque neceſſarium, tractationem videlicet
 pacis inter Principes, incubuimus, & qui-
 dem omni animi ſtudio, omni pietate, ac
 diligentia. Teſtis eſt nobis Deus, cuius freti
 clementia, noſmetipſos itineris & vitæ pe-
 riculo expoſuimus. Noſtra teſtis conſcien-
 tia; quæ nihil habet in hac re quidem, in quo
 nos arguat aut prætermiſſæ aut non quaſitæ
 ad pacificandum occaſionis: Principes ipſi
 teſtes; quos tam ſæpe, tamque vehementer
 Nuncijs, litteris, Legatis, monitis, hortatu,

B V L L A I N D I C T I O N I S

Precibusq; omnibus obsecrauerimus, vt si multates deponerent, vt societate cogitent, vt Christiana Reipub. in maximum, & propinquum iam adducta discrimen, comuni bus studijs, & subsidijs opitularentur. Ia vero testes illa vigiliae atque curae, illi diurni, nocturniq; animi nostri labores, grauesque sollicitudines, quas ob hanc rem & causam plurimas iam suscepimus: nec tamen ad optatum exitum nostra consilia, & acta adhuc perducta sunt. Ita enim visum Domino Deo est: quem tamen non desperamus aliquando optata nostra benignius respecturum. Ipsi quidem, quantum in nobis fuit, nihil quod esset nostro Pastoralis officio debitum in hac re omisimus. Quod si qui sunt, quae actiones pacis nostras in aliam interpretentur partem: dolemus quidem: sed tamen in dolore nostro gratias omni oten- ti agimus, qui ad exemplum & doctrinam patientiae nostrae suos voluit Apostolos haberi dignos, qui pro nomine Iesu, qui pax nostra est, contumeliam paterentur. Verum in illo congressu colloquioq; nostro, quod Nicenae habitum est, etsi peccatis nostris impediens, inter duos Principes vera, & perpetua pax non potuit confici, induciae tamen decennales facta suat: quarum opportunitate nos sperantes, & sacrum Concilium commodius celebratum iri, & deinde ex Concilij auctoritate perfici posse pacem; apud Principes institimus, vt & ipsi venirent ad Concilium, & Praelatos suos praesentes ducerent, absentesq; accerferent. Qui cum de utroque se excusassent: quod & ipsis redire in regna sua tum necesse esset: & Praelatos, quos secum habuissent, iti

ne

nere, atq; impendijs fessos, atque exhaustos
 recreare & refici oportet: nos hortati sunt,
 vt aliam quoq; prorogationem tēporis habē
 di Concilij decerneremus. Qua in re cōce-
 denda cū effemus aliquantum difficiles, lit-
 teras interim à Legatis nostris, qui Vincen-
 tię erant, accepimus, trāsacto iam, & longius
 praterito Concilio ineundi die, vnum vix
 aut alterum ex externis nationibus Prælatū
 Vincentiā se cōtulisse. Quo nuncio accepto,
 cū videremus eo tēpore, nulla iā ratione
 haberi Cōcilium posse, ipsis Principibus cō-
 cessimus, vt differretur tempus agendi Cō-
 cilij vsq; ad sanctum Pascha, diemq; festum
 futuræ Dominicæ resurrectionis. Cuius no-
 stri præcepti, expectationisq; decreta litterę
 Genuę anno incarnationis Domini 1538. 4.
 Kalen. Iul. factę publicatęq; sunt, atq; hanc
 dilationē eo propensius fecimus, quod pol-
 licitus est nobis vterque Princeps Legatos
 suos Romā ad nos se missurum, vt ea quę ad
 perfectionem pacis reliquā essent, neq; Ni-
 cęę ob breuitatem tēporis potuerāt omnia
 confici, Romę commodius coram nobis a-
 gerentur, & tractarentur, & ob hęc rationē
 etiā à nobis ambo petierūt, vt hęc pacifica-
 tionis procuratio Cōcilij celebrationi præ-
 poneretur, cū ipsum Conciliū, pace facta,
 multo deinde vtilius, & salutaris Christiana
 Reipub. futurum esset, semper enim hęc
 pacis spes nobis iniecta Principum nos vo-
 luntatibus assentiri hortata est, quam spem
 vehementer anxit post discessum à Ni-
 cęę nostrum ipsorum duorum Principum
 inter se beneuola amicaque congressio:

quæ maxima nostra cum lætitia à nobis in-
 tellecta, confirmavit nos in bona spe, vt tã-
 dem aliquando nostras preces apud Deum
 exauditas, & vota pacis accepta esse crede-
 remus. Hãc igitur pacis cõclusionem cum &
 expeteremus, & vrgeremus; non solum duo-
 bus antedictis principibus, verum etiam ca-
 rissimo in Christo filio nostro, Ferdinando
 Regi Romanorum, videretur, actionẽ Con-
 cilij, nisi pace facta, suscipi nõ oportere, eũ-
 ctique à nobis per litteras, suosq; Oratores
 contenderent, vt alias rursus temporis pro-
 rogationes faceremus; præcipue autẽ insta-
 ret Serenissimus Cæsar promississe se demõ-
 strãsijs, qui à Catholica vnitate dissentiũt,
 se operam suã apud nos interpositurum, vt
 aliqua concordie ratio iniretur; quod ante
 suam in Germaniam profectioem apte nõ
 posset fieri: Nos, eadem semper spe pacis &
 tantorum principum voluntate adducti, cũ
 præsertim cerneremus, ne adductũ quidem
 Resurrectionis festũ alios Prælatos Vincen-
 tiam conuenisse, prorogationis nomen iar-
 fugiẽtes, quod tam saepe frustra fuerat repe-
 titum, celebrationem generalis Concilij ad
 nostrum & Sedis Apostolicæ beneplacitum
 suspendere maluimus. itaq; fecimus, & de
 suspensione huiusmodi litteras ad singulos
 supradictorum Principum x. die iunij, M. D.
 XXXIX. dedimus, sicut ex illis perspicue pe-
 test intelligi. Ea itaq; suspensione necessa-
 rio per nos facta, dum tẽpus illud magis i-
 doneum à nobis, pacisque aliqua conclusio
 expectatur: quæ & dignitatẽ postea, frequen-
 tiamq; Concilio & Christiane Reip. præsen-

tiore m

CONCILII TRIDENTINI. 9

tiorem salutem erat allatura: Christiana
 interea res in deterius quotidie prolapsa
 sunt, Hungaris, Rege ipsorum mortuo, Tur-
 carum vocantibus: Ferdinando Rege bellum in
 eos mouente. Belgis ad defectionem à Cæsa-
 re ex parte quadam incitatis: cuius defectio-
 nis comprimendæ causa per Galliam ami-
 cissimè, & cum rege Christianissimo concor-
 dissimè magno beneuolè inter eos volutatis
 iudicio transiens in Belgas serenissimus Cæ-
 sar, & illinc deinde in Germaniam profectus,
 conuentus Germaniæ Principum, & ciuita-
 tum, tractandæ eius, quam dixerat, concor-
 diæ causa habere cœpit. Sed cum, spe pacis
 iam deficiente, ille quoque modus curandæ
 in conuentibus, tractandæq; concordia ad
 maiores potius discordias cõcitantas aptus
 esse videretur: inducti fuimus ad pristinum
 Concilij generalis remedium reuerti, idq;
 per legatos nostros S. R. E. Cardinales, ipsi
 Cæsari obtulimus; quod etiam postremo, &
 præcipuè in Ratisbonensi conuentu egimus;
 cum illic dilectus filius noster, Gaspar. tit. S.
 Prædix, Cardinalis Contareus, & summa
 doctrina, & integritate, Legatum nostrum
 ageret. nam cum, id quod ne accideret, antea
 veriti eramus, ex eius conuentus sententia
 peteretur à nobis, vt ab Ecclesia dissentien-
 tum quosdam articulos tolerandos decla-
 raremus, quoad per œcumenicum Conciliū
 illi excuterentur, & deciderentur; idque no-
 bis vt concederemus, neq; Christiana & Ca-
 tholica veritas, neque nostra, & sedis Apo-
 stolicæ dignitas permetteret: Palam potius
 Cõcilium, vt quamprimum fieret, proponi

mandauimus. Neq; verò in alia vnquã sententia, & voluntate fuimus, quara vt primo queq; tempore Concilium œcumenicum & generale congregaretur. sperabamus enim ex eo & pacẽ populo Christiano & Christiana religionis integritatẽ posse recuperari: veruntamen id cum bona gratia, & voluntate Christianorũ Principũ habere volebamus. Quam voluntatem expectamus, dum obseruamus tẽpus absconditum, tẽpus beneplaciti tui, ò Deus: aliquãdo tandẽ decernere compulsi sumus, omne esse tempus beneplacitum Deo, cum rebus sanctis, & ad Christianam pietatem pertinẽtibus consilia inuentur. Quapropter videntes, maximo quidam animi nostri cum dolore, rem Christianam quotidie in peius ruere, Hungaria à Turcis oppressa, Germanis periclitantibus, ceteris omnibus metu, mœroreque afflictis, nullius iam principis cõsensum expectare, sed tantum Dei omnipotentis voluntatem, & Christiana Reip. vtilitatẽ attendere constituimus: Itaque cum Vincentiam amplius non haberemus; cuperemusq; cum vniuersę Christianorum saluti, tum Germanica nationis incommodis in eligẽdo per nos nouo Cõcilij habendi loco cõsulere: aliquotq; locis propositis ipsam Tridentinam ciuitatem ab ipsis desiderari videremus: nos etfi in citeriore Italia commodius omnia tractari posse iudicabamus, ad eorum tamen postulationes nostram voluntatem paternæ caritate defleximus. Itaq; Tridẽtum ciuitatem elegim⁹, qua in ciuitate œcumenicum Concilium ad proximẽ venturas Kal. Nou. habe-

haberetur, idoneum locum illum statuētes, quo ex Germania quidem alijsq; Germanicis finitimis nationibus facillimè, ex Gallia, Hispania, ceterisq; prouincijs remotioribus non difficiliter Episcopi & Prælati conuenire possent. Dies autem Concilij ea à nobis spectata est, quæ spatium in se haberet & publicandi p̄ Christianas nationes nostri huius Decreti, & facultatis omnibus Prælatis adueniendū tribuendæ. Quo minus aut̄ annuū tēpus præfiniremus mutādo Concilij loco, sicut quibusdam constitutionibus alijs præscriptū est, ea res fuit in causa, quod lōgius extrahi spem sanandæ aliqua in parte Christianæ Reip. quæ tot detrimentis & calamitatibus affecta est, nolimus: & tamen videmus tēpora: agnoscimus difficultates: quid sperari possit ex consilijs nostris, incertū esse intelligimus. sed quia scriptū est, Reuela Domino viam tuam, & spera in eo. & ipse faciet: magis Dei clementiæ & misericordiæ confidere, quā nostræ imbecillitati diffidere, constituimus. Sepe enim fit in bonis operibus incipiendis, vt quæd humana consilia nō valent, diuina virtus efficiat. Huius igitur ipsius Dei omnipotētis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ac beatorum eius Apostolorum Petri & Pauli auctoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti, atque subnixi, de venerabilium item fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu sublata, amotaque suspensione, de qua supra cōmemoratum est, quam per præsentis tollimus, & amouemus, sacrum œcumenicum & generale Conciliū in ciuitate Tridentina.

loco commodo, & libero, omnibusque nationibus opportuno, ad Kalend. proximas Nou. anni presentis ab incarnatione Domini M. D. XLII. incipiendum, prosequendum, & eodem Domino adiuuante, ad ipsius gloriam atque laudem, & Christiani totius populi salutem absolendum, perficiendumque; indicimus, annunciamus, conuocamus, statuimus atque decernimus; omnes omnibus ex locis tam venerabiles fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios Abbates, quam alios quoscumque, quibus iure, aut privilegio in Conciliis generalibus residendi, & sententias in eis dicendi permessa potestas est, requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis vi iurandi, quod nobis, & huic sanctæ Sedi prestiturunt, ac sanctæ virtute obedientiæ alijsque sub pœnis iure aut consuetudine in celebrationibus Conciliorum aduersus non accedentes ferri, & proponi solitis, mandantes, arteque precipientes, ut ipsi, nisi forte iusto detineantur impedimento, de quo tamen fidem facere compellantur, aut eerte per suos legitimos procuratores, & nuncios, sacro huic Concilio omnino adesse, & interesse debeant. Suprà autem dictos, Imperatorem, Regemque Christianissimum, necnon ceteros Reges, Duces, Principes; quorum presentia, si aliàs unquam, hoc quidem tempore maxime sanctissimæ Christi fidei & Christianorum omnium futura est salutaris; rogantes, atque obsecrantes per viscera misericordiæ Dei, & Domini nostri Iesu Christi, cuius fidei veritas

ritas

ritas, & religio, & intus, & extra grauius iam oppugnatur, ut si saluam uolunt Christianam esse Rempublicam, si se Domino obstrictos, & obligatos pro maximis illius erga se beneficiis intelligunt, ne deserant ipsius Dei causam, & negotium; ipsimet ad sacri Concilii celebrationem ueniant, in quo ipsorum pietas, atque uirtus communi utilitati salutique suae, ad ceterorum, & temporali, & aeternae, plurimum est profutura. Sin autem id quod nollemus, accedere ipsi non poterunt; at graues saltem viros legatos, cum auctoritate mittant, qui personam Principis sui quisque & cum prudentia, & cum dignitate possint in Concilio referre. Inprimis uero ut id curent, quod ipsis facillimum est, ut ex suis cuiusque regnis, ac prouincijs Episcopi, & Praelati sine tergiversatione, & mora ad Concilium proficiscantur, quod maxime quidem a Praelatis, Principibusque Germaniae Deum ipsum, atque nos impetrare aequum est, ut cum eorum praecipue causa ipsisque cupientibus Concilium indictum sit, & in ea ciuitate indictum, quae ab eis est desiderata, non grauetur ipsi sua cunctorum praesentia id celebrare, & ornare; quo melius atque commodius, quae ad integritatem, & ueritatem Christianae religionis, quae ad bonorum morum reductionem, emendationemque malorum, quae ad Christianorum inter se tam Principum, quam populorum pacem, unitatem, concordiamque pertineant, & quae ad repellendos impetus Barbarorum, & infidelium, quibus illi uniuersam Christianitatem obruere moluntur, sint necessaria, Deo nostris con-

sultationibus præeunte. & lumen sapientia
sua, ac veritatis mentibus nostris præferen-
te, agi in dicto sacro œcumenico Concilio,
& conspirante omnium caritate cõsuli, tra-
ctari, confici, ad optatosque exitus deduci
quamprimũ, & quam optimè possint. Atq; vt
nostrę hæ literæ, & quæ in eis cõtinentur, ad
notitiã cunctorum, quorum oportet, perue-
niãt, neve quis illorum ignorantia excusa-
tionem prætedat, cum præsertim etiam non
ad omnes eos, quib. nominatim illæ essent
intimãdæ, tutus forsitan pateat accessus vo-
lumus, & mãdamus, vt in Basilica Vaticana
Principis Apostolorũ, & in Ecclesia Latera-
nensi, cum ibi multitudo populi ad audien-
dam rem diuinam congregari solita est, pa-
lã clara voce per curię nostrę cursores, aut
notarios aliquos publicos legãtur, lectæque
in valuis dictarũ Ecclesiarum, itemque Cã-
cellariæ Apostolicæ portis, & campi Floræ
solito loco affigantur: vbi ad lectionem &
notitiã cunctorum aliquandiu expositæ
pendeant: cumque inde amoueantur, ea-
rum nihilominus exempla in ei dem locis
remaneant affixa. Nos enim per lectionem,
publicationem, affixionemque huiusmodi,
omnes & quoscunque, quos antedictæ no-
stræ literæ comprehendunt, post spatium
duorum mensium à die litterarum publica-
tionis & affixionis, ita volumus obligatos
esse, atq; astrictos, ac si ipsismet illæ coram
lectæ, & intimatæ essent, transumptis qui-
dem earum, quæ manu publici notarij scri-
pta, aut subscripta, & sigillo personæ alicuius
Ecclesiasticæ in dignitate cõstitutæ, munita

fue-

fuerint, vt fides certa, & indubitata habeatur, mandamus, atq; decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ indictionis annunciationis, conuocationis, statui, decreti, mandati præcepti, & obsecrationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli, Apostolorum eius, se nouerit incursum.

Datum Romæ, apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ, M. D. XLII.

XI. Kalend. Iun. Anno
VIII.

Blosius.

Hier. Dand.